

gitta cor ipsum velut transverberant, alte defixæ sunt in me, ut vix pro humano arbitratu certe evelli posse videantur: stimuli peccati, & lex accusans me fere examinant, ut quum aliquis plane confossus vix spiritum ducit; & demisisti super me manum tuam, qua me adeo premit, ut quo me vertam, nesciam. Quod autem porro attinet ad Indignationem hominis, damnationem prægustantis, adversus se ipsum, ut causam miseriæ suæ per peccata: rursus David suo exemplo nos docet, cum l. c. *Psalm. XXXIX. 5.* inquit: *Iniquitates meæ transcendunt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt præ me. Computruerunt & fœtent livores mei, propter stoliditatem meam.* Ad quæ verba B. Geierus sub persona Davidis: *Propter imprudentiam ac negligentiam meam circa salutem animæ, patior nunc tantos cruciatus, cum morsum peccati non satis perpenderit ac devitaverim; ferme sicut fatuus, cum scorpione vel serpente ludens, propriam incusare cogitur stoliditatem, si ab eodem sauciatus immanes postmodum cogitur sufferre cruciatus.* Ecce hominem secum exoptulantem aut litigantem! Ipsam vero Tristitiæ ac Doloris magnitudinem & Anxietatem animi declarat Psalter, quando *Psalm. XVIII, 5.* memorat terrores, quos torrentes Belial ipsi incusserint; ita ut iisdem esset in pavore, in quibus sunt, qui vel ob scelera undis suffocantur, vel naufragium faciunt, vel qui fluctibus & torrentibus ex improvise obruuntur: interprete B. Gesnero. Sic enim & verbum *תַּרְסָנָה* perterrefecit, alias etiam de vehementi consternatione & anxietate usurpatur. *Jes. XXI, 4.* ubi Propheta; *Errat, inquit, animus meus, horror perterrefacit me; crepusculum desiderii mei, ( mihi desideratissimum ) disponit in trepidationem mihi; id est: Ne ipsam quidem noctem, humane quieti attributam & mihi optatissimam, sinit quietam esse: sed noctes æque ac dies abutitur me, ut durissimus dominus mancipio abjectissimo: cujus sola recordatio ita animum afficit, ut totas etiam noctes cohorrescam; prout affectus illius faciem depingit Fr. Junius in Notis; & aculeos similis terroris expertus est Haman, consternatus ob faciem Regis fremebundi, ideoque metuens vitæ suæ, cum vidisset destinatum esse contra se malum a Rege. *Esth. VII. 6. 7.**

S. XIII.